

PROOEMIVM.

FELICITER in praxi chymiatrica proceſſuro ad 2. reſpiciendum. 1. Vt bene cognoſcat morbum. 2. Vt remedia conuenientia & ſelectiora in promptu habeat. Prius cognoſcitur ex *Pathologia*; *Alterum* ex Therapeuſi; quæ tamen præcipuè eſt chymica. In Pathologicis doctiſſimus Fernelius eſt conſulendus: In Therapeuſi quæ imprimis Pharmaciam ſpectat hoc loco præſtant chymica, ſcilicet ſpecifica & quidem ὑποθέσει, in quibus duobus tota ratio medendi chymica conſiſtit. Antequam igitur ad ſingularum partium morbos & ſymptomata perueniamus, non erit inutile præmittere vniuerſalia medicamenta in certas claſſes redacta, ex quibus vniuerſales curationes particularium morborum petendæ. Cum autem in Medica Praxi frequentiſſima intentio ſit

Euacuatio : Medicum eandem per medicamenta cita, tuta & iucunda ritè administrare callentem principalem Praxeos neruum callere meritò arbitramur. Igitur de morborum principalium cura tractaturi, operæ pretium erit, vniuersalia illa euacuantia, quæ in singulis quasi morbis offerenda, præmittere.

Cum autem Natura per 4. vias ordinariè morbi mineram expellere soleat. 1. per superiora: 2. per inferiora: 3. per vesicam vrinariam, & 4. per ambitum corporis; Medicus naturæ minister eam in his meritò imitatur, & propterea 4. euacuantium medicamentorum classes constituit, scilicet Vomitoriorum, Purgantium, diureticorum & Diaphoreticorum, atq; hęc pro diuersitate subiecti & morbi scilicet ex vegetabilibus, nunc ex mineralibus depromit.

Quemadmodum autem in singulis morbis hæc in vsum veniunt, ita sæpius ob virium imbecillitatem, aut doloris vehementiam nunc æger confortandus, nunc dolor mitigandus, nunc confortantia & anodyna adhibet, quæ particularibus curis præmittenda.

DIGE-